

tar, si hujusmodi legatum, vel institutio aliquas vires posset habere, et cui acquiratur legatum, vel institutio? Dubitationis autem materia erat, quod adhuc servum suum constitutum heredem sine libertate scripserat: et tanta inter veteres exorta est contentio, ut vix possibile sit videri eandem decidere. Sed antiquitatem quidem hanc alterantem relinquendo, nobis alius modus hujus decisionis inventus est: quia semper vestigia voluntatis sequimur testatorum. Cum igitur invenimus nostro jure hoc esse inductum, ut si quis servum suum tutorem filiis suis reliquerit sine libertate, ex ipsa tutela donatione presumatur, etiam libertatem ei favore pupillorum imposuisse: quare non hoc etiam in hereditate et humanis, et favore libertatis inducimus, ut si quis qui servum suum scripsit heredem sine libertate, omnino civis romanus efficiatur: quo inducto neque acquisitio, neque tam effusus veterum atque inextricabilis tractatus locum habeat? Neque enim ferendum est supponere quosdam esse ita sapinos, ut eundem servum et heredem instituant sine libertate, et iterum alii per legatum eundem servum assignent. — § 1. Sed cum veteres, et aliam proposuerunt ambiguitatem, dicentes, si quis servum suum in testamento quidem heredem ex parte sine libertate scripserit, in codicillis autem libertatem ei reliquerit: si possit institutio valere, et ille tam heres, quam liber fieri, ne videatur per codicillos hereditas confirmari, in quibus [hereditas] dari secundum veteres regulas non potest. Nos [itaque] in tali dispositione, licet in codicillis fuerit scripta, et libertatem [et] hereditatem simul servis per nostram liberalitatem et benignam interpretationem indulgemus, ut gratulenter, cum non servi remaneant, sed et liberi et heredes efficiantur: cum tanta in eos nostri numinis benevolentia effusa est, ut [et] si libertas eis neque testamento neque codicillis data sit: tamen hereditas¹⁰ servis relicta, quasi injunctam esse libertatem videri [possit].

§ 2. Illo videlicet observando, ut si legatum¹¹, vel fideicommissum eis sine libertate relinquatur, maneat in servitute: non tamen ita impii heredes existant, ut liberalitatem testatoris, et serviles labores debita remuneratione defraudare conentur, et non derelictum, licet adhuc servis constitutis, donent. — § 3. Quae juris nostri definitio etiam ad aliam speciem debitam benigne extendatur. Si quis etenim testamento principali servum suum cuidam legaverit¹², in pupillari autem substitutione eundem servum filio suo sine libertate substituerit: *querebatur*, sive utilis esset talis substitutio, et per servum legatum substitutio post mortem pupilli legatario acquiratur: sive inutilis esset hujusmodi substitutio, quia sine libertate in servum proprium facta est? Melius itaque nobis videtur legatario eum non statim acquiri sancire, sed expectandum esse substitutionis eventum, et si quidem pupillo mortuo, locus fuerit substitutioni, et liber et heres efficiatur: sin autem substitutio minime locum habuerit, forsitan pupillo jam in pubertatem perveniente: tunc ad legatarii dominium transeat. Quemadmodum etenim veteres, si cum libertate substitutio fuisset, hoc inducebant, quatenus in suspensio fiat libertas, et statuliber intelligatur: ita et ex nostra interpretatione, et sine adiectione libertatis in substitutione, et liber, et heres pupillo existat. — Dat. 2 kal. Maji, *Constantinop.* post consulatum LAMPADII et ORESTIS VV. CC. 531.

6. Idem, A. Joanni P. P.

Decisione nostra, quam fecimus, sancientes eum, qui a domino suo sine libertate heres instituitur, videri libertatem accepisse, in propria firmitate durante: si quis servum suum pure quidem heredem instituerit, libertatem autem sub conditione¹³ ei donaverit: siquidem conditio talis sit, quae in potestate servi posita est, ille autem eam neglexerit, minimeque compleverit: et libertate eum, et hereditate sua culpa defraudari. Sin autem casualis conditio est, et ex fortunae insidiis defecerit, tunc humanitatis intuitu libertatem quidem ei omnimodo competere: hereditatem autem, siquidem solvendo sit, ad alios venire, quos leges vocant, si non aliquis fuisset substitutus. Sin autem solvendo non sit: ut necessarius heres institutus¹⁴, simul libertatem et hereditatem obtineat. Tunc enim secundum definitionem tam veteris, quam nostrae decisionis, et liber, et heres necessarius existat. — Dat. 2 kal. Augusti, *Constantinop.* post consulatum LAMPADII et ORESTIS VV. CC. 531.

7. L. 9, infr. de fideicom. lib. 2, Inst. qui testam. tut. dari poss.: L. 10, in fin.; L. 52, in fin. D. de testam. tut. — 8. § 2, Inst. quib. ex caus. manum. pr. Inst. de her. instit. — 9. L. 2, infr. de codicillis; L. 14, supr. de testam. — 10. Pr. supr. h. l. — 11. L. 2, in fin. supr. h. l.; excip. L. 7, supr.; L. 40, § 1, D. de testam. milit.; N. 78, c. 4; adde L. 75, in fin. de hered. instit. — 12. *Confers.* L. 38, pr. D. de hered. instit. — L. 18, in fin. D. de vulg. et pupill. substit. — 13. L. 32, § 1, D. de hered. instit. — 14. L. 5, D. d. t. — Tr. XXVIII. — 1. Lib. 28, D. 2; Lib. 2, Inst. 15. — 2. *Confers.* L. 3, § 3, et § 4, D. de lib. et posthum. — 3. L. 15, D. de injust. rupt. irrit. fact. testam.: § 2, Inst. de exhered. lib. —

TIT. XXVIII.

DE LIBERIS PRÆTERITIS, VEL EXHEREDATIS.

1. Imp. ANTONINUS A. Faviano.

Cum post omnes heredum gradus exhereditatio scribitur, si adiciat testator ab omnibus se gradibus exheredare: non dubitatur juri satisfactum [esse.] Et ideo etiam [id] non adiciatur, appareat tamen eum id eo consilio scripsisse, ut ab omnibus exheredaret, recte factum testamentum videtur. Proinde cum paterfamilias filiis instituit et vicem substitutis, filium exheredaverit, intelligendus est, exheredationem ab utroque gradu fecisse. Nam cum iidem heredes instituti sunt, nulla ratio reddi potest, quare videatur in posteriore tantum casu exheredare voluisse. — P. P. 6 kal. Jun. *Chilone* et *Libone* *Conss.* 205.

2. Imp. ALEXAND. A. Heraclide.

Si avus tuus, qui patrem tuum et novercam æquis portionibus heredes instituit, cum te² quoque haberet in potestate, testamento nominatim non exheredavit: mortuo patre tuo vivo avo, sine impedimento legis Vellejæ⁴ succedendo in patris tui⁵ locum rupisti avi testamentum, et ad te hereditas ejus tota pertinuit. — P. P. 6 id. april. *Fusco* 2 et *Dextro* *Conss.* 226.

3. Imp. JUSTINIAN. A. Joanni P. P.

Si quis filium proprium ita exheredaverit, *Ille filius meus alienus*⁶ meae substantiæ⁷ fiat, talis filius ex hujusmodi verborum conceptione non præteritus, sed exheredatus intelligitur. Cum enim manifestissimus est sensus testatoris: verborum interpretatio nusquam tantum valeat, ut melior⁸ sensu existat. — Dat. 10 kal. Martii, *Constantinop.* post consulatum LAMPADII et ORESTIS VV. CC. 531.

4. Idem, A. Joanni P. P.

[Maximum] vitium antiquae subtilitatis presenti lege corrigimus⁹, quae putavit alia¹⁰ esse jura observanda in successione parentum, si ex testamento veniant, in masculis, et [alia] in feminis¹¹, cum ab intestato simile [jus] utrique sexui servaverint. Et aliis verbis exheredari filium debere sanxerunt, et aliis filiam: et inter nepotes exheredandos alia jura civilia, alia prætoria introduxerunt: et si præteritus fuerat filius, vel ipso jure testamentum evertebat, vel contra tabulas bonorum possessionem in totum accipiebat: filia autem præterita jus accrescendi ex jure vetere accipiebat, ut eodem momento, et testamentum patris quodammodo ex parte jure accrescendi everteret, et ipsa quasi scripta legatis supponeretur: ex prætorie autem habebat contra tabulas bonorum possessionem in totum. Constitutio autem magni Antonini eam in tantum coarctabat, in quantum jus accrescendi competeat. Qui enim tales differentias inducunt, quasi nature¹² accusatores existunt, cur non totos masculos generavit, ut unde generentur non fiant. Nam hoc corrigentes, majorum nostrorum sequimur vestigia, qui eandem observationem colere manifestissime visi sunt. Scimus etenim antea simili modo, et filium [et] filiam, et [alios] omnes inter ceteros¹³ exheredatos scribere esse concessum. [Tum etiam] centumviri aliam differentiam introduxerunt: et ex hac iniquitate vitium emersit, quale ex libris Ulpiani, quos ad edictum prætoris fecit, inventum a Triboniano viro gloriosissimo nostro quaestore ceterisque viris facundissimis compositoribus juris enucleati ad nostras aures relatum est. Nam cum ultimum¹⁴ adjutorium de inofficiosi querela positum esset, et nemo ex alio ortus presidio ad hanc decurrere posset: inventa fuerat filia præterita minus habens, quam filia exheredata. Cum enim per contra tabulas bonorum possessionem, vel jus accrescendi semissem substantiæ filia præterita accipiebat, et omnibus legata præstare compellebatur¹⁵, scilicet usque ad dodrantem suae portionis, remanebat ei rescuncia [tantummodo] in sua successione. Quod si fuisset exheredata, quarta pars omnimodo totius substantiæ ei relinqui debebat: et quam injuria dignam pater existimabat, amplius habebat, ea quam taciturnitate in institutione præterit, et si secundum nostrae constitutionis¹⁶ definitionem quam de supplemento quadrantis disposuimus, repletio fuerat introducta: simili modo exheredata in quartam partem repletio accedebat, et ita vitium permansit, ut nec ex nostra constitutione emendationem aliquam sentiret. Sancimus itaque quemadmodum in successione parentum, quae ab intestato deferuntur, aqua lance et mares et femina¹⁷ vocantur, ita et in scriptura testamen-

4. L. 29, § 11, D. de lib. et posthum. — 5. *Fide enim* L. 9, § 2, D. d. l. L. 34, supr. de inoff. testam. — 6. *Adde* L. 2, L. 17, D. de lib. et posthum.; L. 61, D. de hered. instit. Inst. de exhered. lib. in pr. vers. nominatim. — 7. L. 16, pr. D. ad Sc. Trebell. — 8. L. 15, supr. de testam.; L. 3, § 9, in fin. D. de adinven. vel transfer. legat. — 9. § 2, Inst. de exhered. lib.; N. 115, c. 5. — 10. L. 14, infr. de legit. hered. — 11. L. 9, D. de statu hom. — 12. L. 14, infr. de legit. hered. — 13. § 2, Inst. de exhered. lib. — 14. § 2, Inst. de inoff. testam. — 15. L. 6, § 2, pen. D. si quis omnia causa testam.; *Janua* L. 1, supr. de bon. posses. contra tab. — 16. L. 50, supr. de inoff. testam. — 17. L. 14, infr. de legit. hered.

torum eas honorari, et similibus verbis exheredationes nominatim procedere, et contra tabulas bonorum possessionem talem habere, qualem filius, vel suus, vel emancipatus haberet: ut, et ipsa si fuerit præterita, ad instar filii emancipati, vel sui, vel testamentum ipso jure evertat, vel per contra tabulas bonorum possessionem stare hoc non patiat. Et hæc non solum in filiabus obtinere, sed etiam in nepotibus, et neptibus et deinceps observari censemus, si tamen ex masculis progeniti sunt. Sed quia et aliud vitium fuerat sub obtentu differentiae introductum, et alia jura exheredationis in posthumis, alia in jam natis observabantur: cum necesse fuerat posthumam inter ceteros exheredatam etiam legato honorari, filiam autem jam progenitam etiam sine datione legati: et hoc brevissimo incremento verborum ad plenissimam definitionem deduximus, sancientes eadem jura obtinere, et in posthumis exheredandis sive masculini, sive feminini sexus sint, quæ in filiis, et filiabus jam statuimus: ut etiam ipsi, vel ipsæ nominatim exheredentur, id est, posthumi, vel posthumæ facta mentione. — Dat. kal. septemb. *Constantinop.* post consulatum LAMPADII et ORESTIS VV. CC. 531.

In AUTHENT. ut cum de app. cog., § Aliud quoque capitulum, cum sequentibus §§, col. 8, tit. 16, al. 12, *Novell.* 118, cap. 5.

*Non licet parenti aliquem ex liberis exheredare, vel præterire, nisi si probeur ingratus*¹⁸, et ingravidinis causas nominatim inserat testamento. Causæ vero ingravidinis nova constitutione expressæ sunt quatuordecim.

In AUTHENT. ut cum de appell. cog., § Aliud et sequenti, et § Sive igitur, et § Hæc autem, in fin., col. 8, tit. 16, al. 12, *Novell.* 118, cap. 5.

Ex causa exheredationis, vel præteritionis irritum est testamentum, quantum ad institutiones: cætera namque firma permanent.

TIT. XXIX.

DE POSTHUMIS HEREDIBUS INSTITUENDIS, VEL EXHEREDANDIS, VEL PRÆTERITIS.

1. Imp. ANTONINUS A. Brutatio.

Si post testamentum factum, quo posthumorum suorum nullam mentionem testator fecit: filium filiamve suscepit, intestato vita functus est: cum agnatione² posthumi, vel posthumæ, cujus non meminit, testamentum ruptum sit: ex rupto³ autem testamento nihil deberi, neque peti posse explorati juris est. — Dat. et P. P. 4 kal. Jul. *ANTONINO* A. 4 et *BALBINO* *Conss.* 214.

2. Imp. DIOCLETIANUS et MAXIMIANUS AA. et CC. Solerico.

Uxoris abortu⁴ testamentum mariti non solvi: posthumo vero præterito, quamvis natus illico decesserit⁵, non restitui ruptum, juris evidentiissimi est. — S. 12 kal. Mart. *Sirmii*, *CC. Conss.*

3. Imp. JUSTIN. A. Joanni P. P.

Quod certatum est apud veteres, nos decidimus. Cum igitur is, qui in ventre portabatur, præteritus fuerat, qui si ad lucem fuisset redactus, suus heres patri existeret, si non alius eum antecederet, et nascendo ruptum testamentum faceret: si posthumus in hunc quidem orbem devolutus est, voce autem non emissa ab hac luce subtractus est, dubitabatur, si is posthumus ruptum facere testamentum posset? [Et] veterum animi turbati sunt, quid de paterno elogio statuendum sit. Cumque Sabiniani existimabant, si vivus natus esset: et si vocem non emisit, rumpi testamentum: apparatusque, quod et si mutus fuerat, hoc ipsum faciebat: eorum etiam nos laudamus sententiam: et sancimus, si vivus⁶ perfecte natus est: licet illico⁷ postquam in terra cecidit, vel in manibus obstetricis decessit: nihilominus testamentum rumpi, hoc tantummodo requirendo, si vivus ad orbem totus processit, ad nullum declinans monstrum⁸, vel prodigium. — Dat. 15 kal. decembr. *Constantinop.* LAMPADII et ORESTE VV. CC. *Conss.* 530.

4. Idem, A. Joanni P. P.

Quidam cum testamentum faciebat, his verbis usus est: *Si filius, vel filia intra decem⁹ mensium spatium post mortem meam edii fuerint,*

18. L. 53, § 1, supr. de inoff. testam. — Tr. XXIX. — 1. Lib. 28, D. 2; L. 2, L. 5, infr. h. t.; L. 2, supr. de bon. poss. contra tab. — 3. L. 15, in fin. D. de injust. rupt. irrit. fact. testam.; L. 81, D. de legat. 2; *Immo vide* Auth. ex caus. sup. tit. prox. — 4. L. 5, infr. h. t.; *fac. L. 14, D. de statu hom.; adde* L. 18, D. de verb. sign.; h. l. § 2, pen. D. de ventre in possess. mitt. — 5. L. 5, infr. h. t. — 6. L. 13, in fin. D. de liberis et posthumis; L. 129, D. de verb. signifi. — 7. L. 2, supr. h. t. — 8. d. l. 2, § 1, 2, pr. D. de liberis et posthumis; *adde* L. 10, D. eod.; N. 39, c. 2.

heredes sunt: Vel ita dixit: *Filius, vel filia [qui] intra decem menses proximos mortis meae nascentur, heredes sunt*: jurgium antiquis interpretatoribus legum exortum est, an videantur non contineri testamento, et hoc ruptum facere? Nobis itaque eorum sententiam decidentibus, cum frequentissimas leges posuimus testatorum voluntates adjuvantes: ex neutra hujusmodi verborum compositione ruptum fieri testamentum videtur: sed vivo testatore, sive post mortem ejus intra decem menses a morte testatoris numerandos filius, vel filia fuerint progeniti, maneat testatoris voluntas immutata, ne penam patiat præteritionis, qui suos [filios] non præterit. — Dat. 12 kalend. decembr. *Constantinop.* LAMPADII et ORESTE VV. CC. *Conss.* 530.

TIT. XXX.

DE JURE DELIBERANDI, ET DE ADEUNDA, VEL ACQUIRENDA HEREDITATE.

1. Imp. ANTONINUS A. Titiae.

Si a patre emancipata, eo defuncto bonorum possessionem non agnovisti: frustra vereris, ne hereditati paternæ sis obligata, quod servum² ejus nullo jure manumisisti, res quoque, et mancipia quædam propter funeris⁴ impensas distraxisti. — P. P. kal. Jul. *MESSALA* et *SABINO* *Conss.* 215.

2. Imp. ALEXAND. A. Florentino militi.

Cum debitum paternum te exsolvisse⁵ alleges: pro portione hereditaria agnovisse te hereditatem defuncti non ambigitur. — P. P. 6 id. februar. *MAXIMO* 2 et *ELIANO* *Conss.* 224.

3. Imp. GORDIANUS A. Florentino militi.

Si fratris tui filius mortis tempore in patris sui fuit potestate, sive ex asse⁶ heres institutus est, etiam clausis⁷ tabulis heres potuit existere: sive ex⁸ parte, nihilominus statim suus ei heres extitit: nec ea propter quod intra paucos dies mortis patris sui concessit in fatum, tu ad ejusdem fratris tui potes accedere successione. Quod si cum juris sui esset, ante aditam hereditatem decessit, tuque fratri tuo legitimus heres extitisti: sive intra tempora⁹ edicto præfinita, bonorum possessionem agnovisti: quæ hereditaria facultatum sunt, vel quæ ab alio injuria detinentur, præsidis diligentia tibi restituentur. — P. P. 15 kal. septemb. *GORDIANO* A. 2 et *POMPEIANO* *Conss.* 242.

4. Imp. DECUS A. Athenaidi.

Filiofamilias delata hereditate, si pater¹⁰ pro herede voluntate filii gessit, solemnitate juris satisfactum videri, sæpe rescriptum¹¹ est. — P. P. 10 kal. Mart. *DECIO* A. et *GRATO* *Conss.* 251.

5. Imp. VALER. et GALLIEN. AA. Paulo.

Potuit pupillus pro herede, tutore¹² auctore, gerendo consequi successione: sed ipsius actus et voluntas fuit necessaria. Nam si quid nesciente eo tutor egit, illi hereditatem non potuit acquirere. — P. P. 16 kalend. Jul. 4 et 5 AA. et *Conss.* 258.

6. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. Philippæ.

Si avia tua patrem tuum ex duabus uncis scripsit heredem, ex sola animi destinatione¹³ pater tuus heres fieri potest. Igitur si testamento [suo] eandem unciam ad te pertinere decreverit, apud rectorem provinciarum duarum unciarum jus persequi poteris. — P. P. 16 kal. August. *Sirmii*, *ipsis* 4 et 5 AA. *Conss.* 290.

7. Idem, AA. et CC. Eusebio.

Quoniam sororem tuam prius defunctam esse proponis, quam cognosceret, an a fratre sibi aliquid hereditatis fuisset relictum, manifestum atque evidens est, antequam¹⁴ pro herede gereret, vel bonorum possessionem admitteret, defuncti successione eam non potuisse ad heredes suos transmittere. — P. P. kal. Maji, *Thiralli*, AA. *Conss.*

8. Idem, AA. et CC. Claudio.

Licet incontinenti sui heredes se paternis non immiscuerint bonis:

Tr. XXX. — 1. Lib. 28, D. 8. — 2. Lib. 29, D. 2. — 3. *Fide tamen* L. 45, § 2, D. de adq. vel omit. hered. — 4. L. 20, § 1, D. d. t.; L. 4, L. 14, § 8, D. de religio. — 5. Is. 8, § 1, supr. de inoff. testam. — 6. L. 1, in fin. D. de jur. et facti ignorant. — 7. L. 8, infr. h. t. — 8. L. 2, infr. de eductis toll. — 8. d. § 5. — 9. L. 4, supr. qui admitti ad bonor. posses. — 10. L. 18, infr. h. t. — 11. L. 6, § 5, D. de adq. vel omit. hered. — 12. d. l. 18, in fin.; L. 9, D. de adq. vel omit. hered.; L. 4, supr. qui admitti ad bonor. posses. — 13. L. 14, infr. h. t.; L. 4, supr. unde legit.; L. 20, pr.; L. 88, D. de adq. vel omit. hered. — 14. L. 2, § 5, infr. de eductis tollend.

tamen ignorantes¹⁵ de latam sibi esse hereditatem, longi temporis prescriptione, quominus hanc recte vindicent, excludi non possunt.— S. 47 kal. Januar. *Sirmii*, AA. COSSS.

9. *Idem*, AA. et CC. Platoni.

Si curatoris quondam tui testamento jure facti, vel ab intestato legitima delata est successio hoc casu ei, qui non repudiavit hereditatem, eam licet adire. Rector igitur provinciae aditus, si hereditati nedom sunt obligati eos¹⁶, an heredes sint, interrogare debet: ac si tempus ad deliberandum¹⁷ petierint, moderatum statuet.— S. 16 kal. Januar. *Sirmii*, AA. COSSS.

10. *Idem*, AA. et CC. Sabinæ.

Si te bonis paternis major [quinque et viginti] annis immiscuisti: neque inopia patris te excusat, neque vis fratris portionem tuam, vel testamentum eripientis arceri de exactione creditorum, qui jure civili¹⁸ pro hereditaria portione te conveniunt, potest.— S. 16 kal. Januar. *Sirmii*, CC. COSSS.

11. *Idem*, AA. et CC. Philumenæ.

Renitente¹⁹ te pater tuus, in cujus fuisti potestate, neque spem delata tibi legitime quærendæ successione absumere, neque hereditarios manumittendo²⁰ servos, his præstare libertatem potuit.— S. 6 id. februar. *Sirmii*, CC. COSSS.

12. *Idem*, AA. et CC. Antonino.

Puberem agnoscentem bonorum possessionem, postea quam fuerit ei hereditas delata, pro herede gerere non ambigitur.— S. 3 kal. decemb. CC. COSSS.

13. *Idem*, AA. et CC. Selepolidi.

Summe heredem omissa²¹ bonorum possessione, paternam successionem obtinere potuisse, certi juris est.— S. 3 id. decemb. *Nicomediæ*, CC. COSSS.

14. *Idem*, AA. et CC. Flavie.

Si sorori suæ frater tuus civilis, vel honorario successit jure: licet res²² ex ejus bonis descendentes, non probetur tenuisse, heres tamen effectus, contra possidentes experiri potest.— S. 12 kal. Januar. *Nicomediæ*, CC. COSSS.

15. Imp. CONSTANT. A. ad Leontium comitem Orientis.

Non est dubium, si priusquam filius jussu patris adierit hereditatem, propriæ potestatis effectus sit, arbitrio suo eundem hanc sibi potuisse quærere.— Dat. 17 kal. april. LIMENIO ET CATULINO COSSS. 349.

16. Imp. ARCAD. et HONOR. AA. Annodoi.

Nec emerere²³, nec donatum adsequi²⁴, nec damnosam quisquam hereditatem²⁵ adire²⁶ compellitur.— Dat. 7 kal. Januar. OLIBRIO ET PROBINO COSSS. 593.

17. *Idem*, et THEOD. AAA. Anthemio P. P.

Cretionum²⁷ scrupulosam solennitatem hac lege penitus amputari decernimus.— Dat. 5 kal. april. *Constantinop.* HONORIO 7 ET THEOD. AA. COSSS. 407.

18. Imp. THEOD. et VALENT. AA. ad Senatam.

Si infanti²⁸ (id est minori septem²⁹ annis) in potestate patris, vel avi, vel proavi constituto, vel constitutæ hereditas sit derelicta, vel ab intestato delata a matre, vel linea, ex qua mater descendit, vel aliis quibuscunque personis: licet parentibus³⁰ ejus, sub quorum potestate est, adire ejus nomine hereditatem, vel bonorum possessionem petere.— § 1. Sed si hoc parens neglexerit, et in memorata ætate infans decesserit: tunc parentem quidem superstitem omnia ex quacunque successione ad eundem infantem devoluta, jure patrio quasi jam infanti quesita capere.— § 2. Parente vero non subsistente, si quidem post ejus obitum tutor infanti sit, vel datus fuerit: posse [eum] etiam adhuc infante pupillo constituto, ejus nomine adire hereditatem, sive vivo parente, sive post mortem ejus ad eum devolutam: vel bonorum possessionem petere, et eo modo eidem infanti hereditatem quærere.— § 3. Sin vero vel non sit tutor, vel cum sit, ea facere neglexerit, tunc eodem infante in ea ætate defuncto, omnes hereditates ad eum devolutas, et non agnitas ita

15. § 3. Inst. de hered. quæ ab intestat. l. 6, § 3, D. de acquir. vel omitt. hered. l. 11, D. de lib. et postum.— 16. l. 11, sup. de petit. hered. l. 1, D. de interrogat.— 17. l. ult. § 13. inf. l. 1, l. 2, D. h. t. l. 3, D. de interrogat. l. 9, D. ad SC. Trebell.— 18. l. ult. sup. de hered. act. l. 23, § 13, D. famul. eredis.— 19. l. 16, in fin. inf. de fideicom.— l. ult. pr. res. sancimus, inf. de bon. que lib. l. 13, in fin. D. de acquir. vel omitt. hered. adde l. 10, D. de transact. l. 8, D. de bonor. posses.— 20. l. 1, inf. de his qui a non domino.— 21. l. 17, § 1, D. de acquir. vel omitt. hered. l. 9, D. de reg. jur.— 22. Fac. l. 6, sup. h. t.— 23. l. 5, sup. de oblig. et act. l. 11, sup. de contrah. empt.— 24. l. 69, D. de reg. jur.— 25. l. 6, in fin. l. 85, D. de acquir. vel omitt. hered. vide tamen l. 21, inf. h. t. § 1, Inst. de hered. qual. et differ. l. 4, l. 13, § 1, D. ad SC. Trebell.—

intelligi, quasi ab initio non essent ad eum delatæ: et eo modo³¹ ad illas personas perveniant, quæ vocabantur, si minime hereditas infanti fuisset delata. Ea vero, quæ de infante in potestate parentum constituto statuimus, locum habebunt, et si quacunque causa sui juris [idem] infans inveniatur.— § 4. Si autem septem annos ætatis pupillus excesserit, et priore parente mortuo, in pupillari ætate fati munus impleverit, ea³² obtinere præcipimus, quæ veteribus continentur legibus: nulla dubietate relicta, quin pupillus post impletos septem annos suæ ætatis ipse adire hereditatem, vel bonorum possessionem petere, consentiente parente, si sub ejus potestate sit, vel cum tutoris auctoritate, si sui juris sit, possit: vel si non habeat tutorem, adire prætorem, et ejus decreto hoc jus consequi.— Dat. 6 id. novemb. *Ravennæ*, THEODOSIO 12 ET VALENTINIANO 2 AA. COSSS. 426.

19. Imp. JUSTINIAN. A. Demostheni P. P.

Cum in antiquioribus legibus, et præcipue in Questionibus Julii Pauli invenimus, filiosfamilias paternam hereditatem deliberantes posse et in suam posteritatem hanc transmittere: et aliis [etiam] quibusdam adjectis, quæ in hujusmodi personis præcipua sunt: eam deliberationem et in omnes successores, sive cognatos, sive extraneos, duximus esse protelendam³³. Ideoque sancimus, si quis vel ex testamento, vel ab intestato vocatus, deliberationem meruerit: vel si hoc quidem non fecerit, non tamen successioni renunciaverit, ut ex hac causa deliberare videatur: sed nec aliquid gesserit³⁴, quod additionem, vel pro herede gestionem inducat: prædictum arbitrium in successionem suam transmittat: ita tamen, ut unius³⁵ anni spatium eadem transmissio fuerit conclusa. Et si quidem is, qui sciens hereditatem vel ab intestato, vel ex testamento sibi esse delatam, deliberationem minime petita, [intra annale tempus] decesserit: hoc jus ad suam successionem intra annale tempus extendat. Si enim ipse, postquam testamentum fuerit insinuatam, vel ab intestato, vel ex testamento, vel aliter ei cognitum sit heredem eum vocatum fuisse, annali tempore translapso nihil fecerit, ex quo vel adendum, vel renunciandam hereditatem manifestaverit: is cum successione sua ab hujusmodi beneficio excludatur. Sin autem instante annali tempore decesserit, reliquum tempus pro adenda hereditate suis successoribus sine aliqua dubietate relinquat: quo completo nec heredibus ejus alius regressus in hereditatem habendam servabitur. Recitata³⁶ septimo in novo consistorio palatii Justiniani.— Dat. 3 kal. novembr. Decro V. C. COSS.

20. *Idem*, A. Joanni P. P.

Quidam elogio condito heredem scripsit in certas uncias, et post certa verba testamenti eundem in alias uncias, vel tantas, vel quantascunque, et tertio, vel in aliam partem hereditatis, vel in quandam unciarum modum: ille autem unam institutionem, vel duas admittens, unam vel duas, vel quantascunque respondens esse censuit: quærebatur apud teres, si hoc ei facere permitteret. Similique modo dubitabatur, si impuberem quis filium suum heredem ex parte instituit, et quandam extraneum in aliam partem, quem pupillariter substituit: et postquam testator decessit, pupillus quidem patri [ejus] heres extitit, extraneus autem hereditatem adit: et postea adhuc in prima ætate pupillus constitutus ab hac luce subtractus est, et pupillaris substitutio locum sibi vindicavit: cumque substitutus eandem partem admittere noluit, *quæsitum* est, si potest jam heres ex principali testamento factus, pupillarem substitutionem repudiare? Utramque igitur dubitationem simul decidendam esse censemus. Placuit enim nobis, sive in institutione, sive in pupillari substitutione, ut vel omnia admittatur³⁷, vel omnia repudietur, et necessitas imponatur heredi particulari facto, vel aliam, aut alias partes hereditatis admittere, vel etiam substitutionem pupillarem.— Dat. prid. kal. Maji *Constantinop.* post consulatum LAMPADII ET ORESTIS VV. CC. 531.

21. *Idem*, A. Joanni P. P.

Cum aliquis scripsit heredem eum, qui de sua conditione ei, qui dominium ejus vindicabat, in iudicio adversabatur: is autem, qui dominum se esse dicebat, adire cum hereditatem imperabat, ut acquisitio hereditatis per eum celebraretur, indignatus est, quasi domino ei parere: *dubitatio* veteribus exorta est, si qua pena imponatur hujusmodi insolentiae? Veteres in multas trahuntur sententias, sed nos eorum discordiam

26. Adde l. 21, in fin. D. quod. met. causa.— 27. Fac. l. ult. sup. qui admitti ad bonor. posses.— 28. l. 2, l. 3, sup. qui admitti ad bonor. posses. adde N. 158, l. 7, in fin. D. de bonor. posses.— 29. l. 14, D. de sponsalib.; l. 1, § 2, D. de admin. et peric. tut.; N. Leon. 109.— 30. l. 4, sup. h. t. l. 6, § 3, D. de acquir. vel omitt. hered.— 31. l. ult. § 3, inf. de caducis toll.— 32. l. 1, sup. h. t. l. 7, sup. qui admitti ad bonor. posses.; l. 9, D. de acquir. vel omitt. hered.— 33. l. ult. inf. de his qui ante aperta tab.— adde l. ult. § 3, inf. de caducis toll.; N. 158.— 34. l. 2, sup. h. t.; adde § ult. Inst. de hered. qual. et differ.— 35. l. 27, § 15, inf. h. t.— 36. l. 50, in fin. sup. de jure dotium.— 37. l. 1, l. 55, D. de acquir. vel omitt. hered.

sic esse decidendam censemus, ut distinctio subtilis causæ [ei] imponatur, ut si quidem ita scripta est institutio, *illum servum illum heredem instituo*: quia apertissimum est, intuitu³⁸ domini institutionem esse conscriptam, necesse sit omnimodo pro competentem iudicem eum compelli adire quidem hereditatem, et eam acquirere: nulli autem ex postfacto subijci gravamini, si liber pronuncietur: sed omne sive lucrum, sive damnum ad eum redundare, qui in servitute eum trahebat, et denegari³⁹ ei et adversus eum omnes hereditarias actiones, nullo ei ex hoc præjudicio generando. Sin autem quasi liber institutus est, nulla domini, vel servi mentione in institutione habita, tunc nullo compelli modo eum adire hereditatem: nec denegari ei liberale iudicium: sed [et] hereditatem per suum jus decurrere, et liberale iudicium suum expectare sententiam, sive agente eo, sive pulsato: ut si quidem servus pronuncietur, tunc domino suo hereditatem acquirat: sin autem liber, eam adipiscatur: si adire maluerit.— Dat. 2 kal. Maji, *Constantinop.* post consulatum LAMPADII ET ORESTIS VV. CC. 531.

22. *Idem*, A. ad Senatam.

Scimus jam duas esse promulgatas a nostra clementia constitutiones: unam⁴⁰ quidem de his, qui deliberandum pro hereditate sibi delata existimaverint: aliam autem de improvisis debitis, et incerto exitu per diversas species eis imposito. Sed et veterem⁴¹ constitutionem non ignoramus, quam divus Gordianus ad Platonem scripsit, de militibus, qui per ignorantiam hereditatem adierunt: quatenus pro his tantummodo rebus conveniantur, quas in hereditate defuncti invenerint: ipsorum autem bona a creditoribus hereditariis non inquietentur. Cujus sensus ad unam præfatarum constitutionum a nobis redactus est. *Arma etenim magis, quam jura scire milites*⁴² sacratissimus legislator existimavit. Ex omnibus itaque istis unam legem colligere, nobis apparuit esse humanum: et non solum milites adjuvare hujusmodi beneficio, sed etiam ad omnes hoc extendere: non tantum si improvisum emerit debium, sed etiam si onerosam quis inveniat esse, quam adit hereditatem: ita enim, nec satis necessarium deliberationis erit auxilium, nisi hominibus formidolosis, qui et ea timent, quæ nulla digna sunt suspitione.— § 1. Cum igitur hereditas ad quemdam, sive ex testamento, sive ab intestato sit delata, sive ex asse, sive ex parte: si quidem recta via adire maluerit hereditatem, et spe certissima hoc fecerit, vel sese immiscuerit, ut non postea cam repudiet: nullo indiget inventario, cum omnibus creditoribus⁴³ suppositus sit: utpote hereditate ei ex [sua] voluntate⁴⁴ infixa. Similique modo, si non titubante animo respiciendum, vel abstinentiam esse crediderit hereditatem, et apertissime intra trium mensium spatium ex quo ei cognitum fuerit scriptum se esse, vel vocatum heredem, [ei] renunciet: nullo nec inventario faciendum, nec alio circuito expectando, sit alienus [ab] hujusmodi hereditate, sive onerosa, sive lucrosa sit.

§ 2. Sin autem dubius est, utrumne admittenda sit necne defuncti hereditas, non potest sibi esse necessaria deliberationem, sed adeat hereditatem, vel sese immisceat: omni tamen modo inventarium⁴⁵ ab ipso conficiatur: ut intra triginta dies post apertas tabulas, vel postquam nota fuerit ei apertura tabularum, vel delatam sibi ab intestato hereditatem cognoverit, numerandos, exordium capiat inventarium super his rebus, quæ defunctus mortis tempore habebat: et hoc inventarium intra alios sexaginta⁴⁶ dies modis omnibus impleatur sub presentia tabulariorum, cæterorumque qui ad hujusmodi confectionem necessarii sunt⁴⁷: subscriptionem tamen supponere heredem necesse est, significantem, et quantitatem rerum, et quod nulla malignitate circa eas ab eo facta, vel facienda res apud eum remaneant: vel si ignarus sit litterarum, vel scribere præpeditatur, speciali tabulario ad hoc solum adhibendo, ut pro eo litteras supponat, venerabili⁴⁸ signo antea manu heredis præposito, testibus videlicet adsumendis, qui heredem cognoscant, et jubente eo tabularium pro se subscribere, interfuerint.— § 3. Sin autem [a] locis, in quibus res hereditariæ, vel maxima pars earum posita est, heredes abesse⁴⁹ contigerit: tunc eis unius anni spatium a morte testatoris numerandum damus ad hujusmodi inventarii consumptionem: sufficit enim præfatum tempus, etsi longissimis spatiis distat: tamen placuit dare eis facultatem inventarii conscribendi, vel per se, vel per instructos procuratores in loca, ubi res posite sunt, mittendos.— § 4. Et si præfatum observationem inventarii faciendi solidaverint: hereditatem sine

38. Fac. § 3, Inst. per quas personas cuique acquiri: confer. l. 5, sup. de hered. instit.— 39. l. 59, D. d. t. l. 74, § 2, D. de acquir. vel omitt. hered.— 40. l. 19, sup. h. t.— 41. § 5, in fin. Inst. de hered. qual. et differ.— 42. l. 9, § 1, D. l. r. sup. de jur. et facti ignor. l. 3, sup. de testam. milit.— 43. l. 8, D. de acquir. vel omitt. hered. l. 1, l. 7, sup. qui admitti ad bonor. posses.— 44. l. 1, c. 2, § 1.— 45. N. 1, c. 2, § 1.— 46. Confer. N. Leon. 110, in fin.— 47. d. N. 1, c. 2, § 1.— 48. N. Leon. 72.— 49. § 11, inf. h. t.— 50. Adde l. 41, D. ad leg. Falcid.— 51. Vide tamen § 6, inf. h. t.; adde l. 24, in fin. D. que in fraud. credit.— 52. l. 6, D.

periculo habeant, et legis Falcidiæ adversus legatarios utantur beneficio⁵⁰: ut in tantum hereditariis creditoribus teneantur, in quantum res substantiæ ad eos devolutæ valeant: et eis satisfaciatur qui primi⁵¹ veniant creditores: et si nihil reliquum est, posteriores venientes repellantur: et nihil ex sua substantia penitus heredes amittant: ne dum lucrum facere sperant, in damnum incidant. Sed et si legatarii interea venerint: eis satisfaciatur ex hereditate defuncti, vel ex ipsis rebus, vel ex earum forsitan venditione.

§ 3. Sin vero creditores, qui post emensum patrimonium necdum completi sunt, superveniant: neque ipsum heredem inquietare concedatur, neque eos qui ab eo comparaverint res, quarum pretia in legata, vel fideicommissa, vel alios creditores processerunt. Licentia creditoribus non deneganda adversus legatarios⁵² venire, vel hypothecis, vel indebiti conditione uti, et hæc quæ acceperint, recuperare: cum satis absurdum sit, creditoribus quidem jus⁵³ suum persequentibus legitimum auxilium denegari, legatariis vero qui pro lucro certant, suas partes leges accomodare.— § 6. Sin vero heredes res hereditarias creditoribus hereditariis pro debito dederint in solutum: vel per dationem pecuniarum satis eis fecerint: liceat aliis creditoribus qui ex anterioribus veniunt hypothecis, adversus eos venire, et [a] posterioribus [creditoribus] secundum leges eas abstrahere, vel per hypothecariam actionem, vel per conditionem ex lege, nisi voluerint debitum⁵⁴ eis offerre.— § 7. Contra ipsum tamen heredem (secundum quod sæpius⁵⁵ dictum est) qui quantitatatem rerum hereditariarum expendit, nulla actio extendatur.— § 8. Sed nec adversus⁵⁶ emptores rerum hereditariarum, quas ipse [heres] pro solvendis debitis, vel legatis vendidit, venire alii concedatur: cum satis anterioribus creditoribus a nobis provisum est, vel ad posteriores⁵⁷ creditores, vel ad legatarios⁵⁸ pervenientibus, et suum jus persequentibus.— § 9. In computatione autem patrimonii damus [licentiam] excipere et retinere quicquid in funus⁵⁹ expendit, vel in testamenti insinuationem⁶⁰, vel inventarii confectionem⁶¹, vel in alias necessarias causas hereditatis approbaverit sese persolvisse. Si vero, et ipse aliquas contra defunctum habebat actiones: non hæc confundentur⁶², sed similem [cum] aliis creditoribus per omnia habeat fortunam: temporum tamen prærogativa inter creditores servanda.— § 10. Licentia danda creditoribus, seu legatariis, vel fideicommissariis, si majorem putaverint esse substantiam a defuncto derelictam, quam heres [in] inventario scripsit, quibus voluerint legitimis modis quod superfluum est, approbare⁶³, vel per tormenta forsitan servorum hereditarium⁶⁴ secundum anteriorem nostram legem quæ de questione servorum loquitur, vel per sacramentum illius, si alia probationes defecerint: ut undique veritate exquisita, neque lucrum neque damnum aliquid heres ex hujusmodi sentiat hereditate: illo videlicet observando, ut si ex hereditate aliquid heredes surripuerint, vel celaverint, vel amovendum curaverint, postquam fuerint convicti, in duplum hoc restituere, vel hereditatis quantitati computare compellantur.— § 11. Donec tamen inventarium conscribitur: vel si res præsto sint, intra tres menses: vel si abfuerint, intra annale spatium secundum anteriorem⁶⁵ distinctionem, nulla erit licentia neque creditoribus neque legatariis vel fideicommissariis eos vel inquietare, vel ad iudicium vocare, vel res hereditarias quasi ex hypothecarum auctoritate vindicare: sed sit hoc spatium ipso jure pro deliberatione heredibus concessum: nullo scilicet ex hoc intervallo creditoribus hereditariis circa temporalem prescriptionem præjudicio generando.— § 12. Sin vero postquam adierint, vel sese immiscuerint, presentes⁶⁶ vel absentes inventarium facere distulerint, et datum jam a nobis tempus ad inventarii confectionem effluxerit: tunc ex eo ipso quod inventarium secundum formam presentis constitutionis non fecerint, et heredes esse omnimodo intelligantur: et debitis hereditariis in solidum teneantur, nec legis nostre beneficio perfruantur, quam contemnendam esse censuerint.— § 13. Et hæc quidem de his sancimus, qui deliberationem nullatam petendam [esse] curaverint: quam putamus quidem penitus post hanc legem esse supervacuum, et debere ei derogari. Cum enim liceat eis et adire hereditatem, et sine damno ab ea discedere ex presentis legis auctoritate: quis locus deliberationi relinquatur? Sed quia quidam vel vana formidine, vel callida machinatione, pro deliberando nobis supplicandum necessarium esse existimant, quatenus eis liceat annale tempus tergiversari, et hereditatem inspicere, et alias contra eam machinationes excogitare, et eandem deliberationem flebilibus adsertionibus repetita prece sæpius accipere: ne quis nos pu-

de separat.— 53. Fac. l. 41, in fin. D. de reg. jur.— 54. l. 1, inf. qui potiores in pignore.— 55. § 4, § 5, sup. h. t.— 56. d. § 5.— 57. § 6, sup. h. t.— 58. § 5, sup. h. t.— 59. l. pen. D. de relig. et sumptib. funer.; l. 1, in fin. D. ad leg. Falcid.; § ult. Inst. de leg. Falcid.— 60. l. 25, sup. de testam.— 61. § 2, sup. h. t.— 62. Arg. l. 48, D. ad leg. Falcid.— 63. Vide tamen l. 17, D. de probationibus.— 64. Adde l. 8, § 6, sup. de repudiis; l. 22, verba mali, si res sup. de admin. tut.— 65. § 2, § 5, sup. h. t.— 66. § 11, sup. h. t.